

et ab ipso corpore solveretur: unde et cupiebat dissolvi et cum Christo esse, sciens quod peccatum, separans inter nos et Deum, penitus auferri non poterit, donec liberemur a corpore. Audistis de quodam quem Dominus curavit a daemonio, quoniam collidens et multum discerpens eum daemon iussu Domini exivit ab illo. Itaque dico vobis, genus illud peccati quod toties conturbat nos (concupiscentia loquor et desideria mala) reprimi quidem debet et potest per gratiam Dei, ut non regnet in nobis, nec demus membra nostra arma iniquitatis peccato, et sic nulla damnatio est his qui sunt in Christo Iesu: sed non eicitur nisi in morte, quando sic discernimur ut anima separetur a corpore.

77 Habes ad quid venerit Christus et cui intendere debeat christianus. Propterea noli, o corpus, noli praeripere tempora; potes enim impedire animae tuae salutem, tuam ipsius operari non potes. Omnia tempus habent: patere ut nunc anima pro se labore, magis autem etiam collabora ei; quoniam si compateris, et conregnabis. Quantum eius impedis reparationem, tantum impedis tuam: quod nimirum ante reparari non poteris donec suam in ea Deus imaginem videat reformatam. Nobilem hospitem habes, o caro, nobilem valde, et tota salus tua pendet de eius salute. Da honorem hospiti tanto. Tu quidem habitas in regione tua: anima vero peregrina et exsul apud te est hospitata. Quaeso te, quis rusticus, si forte nobilis et praepotens quispiam eum voluerit hospitari, non libenter in angulo domus suae, aut sub gradibus suis, vel in ipsis cineribus accubabit, cedens hospiti suo locum (sicut dignum est) potiorum? Et tu ergo fac similiter. Iniurias vel molestias tuas ne reputaveris: tantum ut hospes tuus honorifice possit apud te demorari. Honor

tibi est ut pro eo interim te exhibeas inhonorum.

Ac ne forte despicias aut parvipendas 78 hospitem tuum pro eo quod peregrinus tibi videtur et advena, diligenter attende quid hospitis huius tibi praesentia largiatur. Ipse enim est qui tribuit oculis visum, auditum auribus praestat: ipse est qui linguae vocem, palato gustum, motum membris omnibus subministrat. Si quid vitae, si quid sensus, si quid in te decoris est, huius ospiti beneficium recognosce. Denique discessus eius probat quid praesentia conferebat. Protinus enim, anima discedente, lingua silebit, oculi nihil videbunt, obsurdescent aures, corpus omne rigebit, facies expallescet. In brevi quoque totum cadaver putridum simul et putidum fiet, et decor omnis in saniem convertetur. Ut quid ergo pro temporali qualibet delectatione contristas et laedis hospitem istum, quem nec sentire quidem ullo modo poteris nisi per ipsum? Ad haec, si tantum tibi confert exsul et inimicitarum causa a facie Domini sui cietus, quantum tibi praestabit reconciliatus! Noli, o corpus, noli impedire reconciliationem illam: quoniam grandis tibi exinde gloria praeparatur. Patenter, immo et libenter temetipsum expone ad omnia: nihil dissimules quod huic videatur reconciliatione posse prodesse. Dic hospiti tuo: Quia recordabitur Dominus tui et restituet te in gradum pristinum, et tu memento mei.

79 Omnino enim memor erit tui in bonum, si bene servieris illi: et cum pervenerit ad Dominum suum, suggeret ei de te et loquetur bonum pro bono hospite, dicens: Cum in ultionem culpae suae exsularet servus tuus, pauper quidam, apud quem hospitatus sum, fecit mecum misericordiam: et utinam retribuat pro me Dominus meus. Primo si

quidem omnia sua, dehinc etiam semetipsum exposuit utilitatibus meis, non parens sibi propter me, in ieiuniis multis, in laboribus frequenter, in vigiliis supra modum, in fame et siti, etiam in frigore et nuditate. Quid igitur? Profecto non mentietur Scriptura, qua dicitur: *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet* (PSAL. CXLIV, 19). O si forte gustare dulcedinem hanc, si forte gloriam istam valeas aestimare! Mira enim dicturus sum, sed tamen vera et omnino indubitata fidelibus. Ipse Dominus Sabaoth, Dominus virtutum et rex gloriae, ipse descendet ad reformanda corpora nostra et configuranda corpori claritatis suae. Quanta erit illa gloria, quam ineffabilis exultatio, quando Creator universitatis qui pro animabus iustificandis humilis ante venerat et occultus, pro te glorificanda, o misera caro, sublimis veniet et manifestus, non iam in infirmitate, sed in gloria et maiestate sua! Quis cogitabit diem adventus illius, quando descendet cum plenitudine luminis praerurentibus angelis et tubae concentu excitantibus de pulvere corpus inops et rapientibus illud obviam Christo in aera?

80 Quosque igitur caro misera, insipiens, caeca, demens et prorsus insana caro, transitorias et caducas quaerit consolationes, immo desolationes, si forte contingat repelli et indignam iudicari hac gloria, magis autem nihilominus ineffabili in aeternum excruciaci poena? Non sic, obsecro, fratres mei, non sic: quin immo delectetur in huiusmodi meditationibus anima nostra; quin etiam caro nostra requiescat in spe, Salvatore expectans Dominum nostrum Iesum Christum qui reformabit illam, configuratam corpori claritatis suae. Sic enim ait Propheta: *Sitivi in te anima mea,*

quam multipliciter tibi caro mea! (PSAL. LXXII, 2). Desiderabat siquidem anima prophetalis adventum priorem quo se noverat redimendam: sed multo amplius caro desiderabat adventum posteriori et glorificationem suam. Tunc enim implebuntur desideria nostra, et plena erit maiestate Domini omnis terra. Ad quam gloriam, ad quam beatitudinem, ad quam denique pacem, quae exsuperat omnem sensum, ipse sua nos misericordia perducet, nec confundat nos ab expectatione nostra Salvatore, quem expectamus, Iesus Christus Dominus noster, qui est super omnia benedictus in saecula.

Varia de Adventu, ex Henrico Augustodunensi.
(DE ANTIQVO RITU MISSARUM, II, 1.)

ADVENTUM itaque Domini ob tres causas celebramus: Primo, quia illud tempus recolimus, quo cum ab antiquis sanctis praenuntiatur cognovimus. Secundo, faciem eius laudibus praecoepamus, quo eum unicuique nostrum in fine vitae adventurum non ignoramus. Tertio, illud commemoramus quo cum adhuc affuturum indicem speramus. In Lectorio et in Evangelio quinqué hebdomadae adventus Domini annotantur, quia per quinqué saecula adventus eius a saeculis praenuntiabatur. In Antiphonario et in Graduali libro, quatuor septimanae ei attuluntur, quia per legem, prophetas, psalmos, et gentium libros Christi Adventus praenuntiabatur. In hoc tempore *Gloria in excelsis*, et *Te Deum laudamus* non cantantur, quia iusti ante Christi adventum in tristitia inferni tenebantur. In hoc etiam dalmatica et subtile non portantur, quia vestes innocentiae et immortalitatis nobis per Christum reddebantur. Haec cuncta ideo etiam intermittuntur, ut in Nativitate Domini festivus amplectantur, et ut gratia novi Testamenti praestantior veteri cognoscatur.

DOMINICA II. ADVENTUS

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. XI, 2-10.

In illo tempore: Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis,

3. ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?

4. Et respondens Iesus ait illis: Entes renuntiate Iohanni quae audistis et vidistis.

5. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur:

6. et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.

7. Illis autem abeuntibus, coepit Iesus dicere ad turbas de Iohanne: Quid existis in deserto videre? arundinem vento agitatam?

8. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt.

9. Sed quid existis videre? prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam.

10. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te.

Homilia S. Gregorii Papae.

HOMILIA VI. IN EVANGELIA. *Habita ad populum in basilica sanctorum Marcellini et Petri, Dominica tertia Adventus Domini.*

32. **Q**UAERENDUM nobis est, fratres charissimi, Iohannes propheta, et plus quam propheta, qui venientem ad Iordanis baptismum Dominum ostendit dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (IOANN. I, 29, 36), qui et humilitatem suam, et divinitatis eius potentiam considerans, dicit: *Qui de terra est, de terra loquitur, qui autem de caelo venit, super omnes est* (IOANN. III, 31); cur in carcere positus, mittens discipulos suos, requirit: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* tamquam si ignoret quem ostenderat, et an ipse sit nesciat, quem ipsum esse prophetando, baptizando, et ostendendo clamaverat. Sed haec citius quaestio solvitur si gestae rei tempus et ordo pensetur. Ad Iordanis enim fluenta positus, quia ipse Redemptor mundi esset asseruit, missus vero in carcerem, an ipse veniat requirit, non quia ipsum esse mundi Redemptorem dubitet, sed quaerit, ut sciat si is qui per se in mundum venerat, per se etiam ad inferni claustra descendat. Quem enim praecurrens mundo nuntiaverat, hunc moriendo et ad inferos praecurrebat. Ait ergo: *Tu es qui venturus*

es, an alium expectamus? Ae si aperte dicat: Sicut pro hominibus nasci dignatus es, an etiam pro hominibus mori digneris, insinua, ut qui nativitatis tuae praecursor exstiti, mortis etiam praecursor fiam, et venturum inferno te nuntiem, quem iam venisse mundo nuntiavi.

Unde et inquisitus Dominus enumerationis potentiae suae miraculis, de mortis suae protinus humilitate respondit, dicens: *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur, et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.* Visis

tot signis, tantisque virtutibus, non scandalizari quisquam potuit, sed admirari. Sed infidelium mens grave in illo scandalum pertulit, cum eum et post tot miracula orientem vidit. Unde et Paulus dicit: *Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* (I COR. I, 23). Stultum quippe hominibus visum est ut pro hominibus auctor vitae moreretur; et inde contra eum homo scandalum sumpsit, unde etiam plus debitor fieri debuit. Nam tanto Deus ab hominibus dignius honorandus est, quanto pro hominibus et indigna suscepit. Quid est ergo dicere: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me*, nisi aperta voce abiectioem mortis suae humilitatemque signare? Ae si patenter dicat: Mira quidem facio, sed abiecta perpeti non dedignor. Quia ergo moriendo te subsequor, cavendum valde est hominibus, ne in me mortem despiciant, qui signa venerantur.

Sed dimissis Iohannis discipulis, quid de eodem Iohanne turbis dicat audiamus: *Quid existis in deserto videre? Arundinem vento agitatam?* Quod videlicet non asserendo, sed negando intulit. Arundinem quippe mox ut aura contigerit, in partem alteram flectit. Et quid per arundinem nisi carnalis animus designatur?

Qui mox ut favore vel detractioe tangitur, statim in partem quamlibet inclinatur. Si enim ab humano ore aura favoris flaverit, hilarescit, extollitur, totumque se quasi ad gratiam inflectit. Sed si inde ventus detractiois eruperit, unde laudis aura veniebat, mox eum quasi in partem alteram ad vim furoris inclinat. Sed arundo vento agitata Iohannes non erat, quia hunc nec blandum gratia, nec cuiuslibet detractio ira asperum faciebat. Nec prospera hunc erigere, nec adversa noverant inclinare. Arundo ergo vento agitata Iohannes non erat, quem a status sui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat. Discamus ergo, fratres charissimi, arundinem vento agitatam non esse; solidemus animum inter auras linguarum positum, stet inflexibilis status mentis. Nulla nos detractio ad iram provocet atque ad remissionem inutilis gratiae nullus favor inclinet. Non nos prospera elevent, non adversa perturbent, ut qui in soliditate fidei figimur, nequaquam rerum transeuntium mutabilitate moveamur.

84. Adhuc autem de eius expressione subiungitur: *Sed quid existis in deserto videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt.* Camelorum etenim pilis contextis vestitus Iohannes fuisse describitur. Et quid est dicere: *Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt*, nisi aperta sententia demonstrare quia non coelesti, sed terreno regi militant hi qui pro Deo perpeti aspera fugiunt, sed, solis exterioribus dediti, praesentis vitae mollietiem et delectationem quaerunt? Nemo ergo existimet in fluxu atque studio vestium peccatum desse, quia si hoc culpa non esset, nullo modo Iohannem Dominus de vestimenti sui asperitate laudasset. Si hoc culpa non esset, nequaquam Petrus apostolus per epistolam feminas a

pretiosarum vestium appetitu compesce- ret, dicens: *Non in veste pretiosa* (I PETR. III, 3; I TIM. II, 9). Pensate ergo quae culpa sit hoc etiam viros appetere, a quo curavit pastor Ecclesiae et feminas prohibere.

Quamvis hoc quod Iohannes non esse vestitus mollibus dicitur, per significationem intelligi et aliter potest. Mollibus enim vestitus non fuit, quia vitam peccantium non blandimentis fovit, sed vigore asperae invectionis increpavit, dicens: *Genimina viperarum, quis vobis demonstravit fugere a ventura ira?* (MATTH. III, 7; LUC. III, 7). Unde et per Salomonem dicitur: *Verba sapientum quasi stimuli, et sicut clavi in alium defixi* (ECCLES. XII, 11). Clavis quippe atque stimulus sapientum verba comparantur, quia culpas delinquentium nesciunt palpere, sed pungere.

Sed quid existis videre in deserto? Prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam. Prophetae quippe ministerium est, ventura praedicere, non etiam demonstrare. Iohannes ergo plus quam propheta est, quia eum quem praecurrendo prophetaverat etiam ostendendo monstrabat. Sed quia arundo vento agitata esse denegatur, quia non esse vestitus mollibus dicitur, quia prophetae nomen huic impar esse prohibetur, iam quid digne dici possit audiamus. Sequitur: *Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te* (MALACHI. III, 1). Quod enim Graece angelus, hoc Latine nuntius dicitur. Recte ergo qui nuntiare supernum iudicem mittitur angelus vocatur, ut dignitatem servet in nomine, quam explet in operatione. Altum quidem nomen est, sed vita nomine inferior non est.

Utinam, fratres charissimi, non ad iu- Petrus apostolus per epistolam feminas a

sacerdotii nomine censentur angeli vocantur, Propheta attestante, qui ait: *Latria sacerdotis custodimur scientiam, et legem requirunt ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est* (MALACH. II, 7). Sed huius altitudinem nominis; etiam vos, si vultis, potestis mereri. Nam unusquisque vestrum in quantum sufficit, in quantum gratiam supernae aspirationis accepit, si a pravitate proximum revocat, si exhortari ad bene operandum curat, si aeternum regnum vel supplicium erranti denuntiat, cum sanctae annuntiationis verba impendit, profecto angelus existit. Et nemo dicat: Admonere non sufficio, exhortari idoneus non sum. Quantum potes exhibe, ne male servatum quod acceperas in tormentis exigaris. Neque enim plus quam unum talentum acceperat qui hoc abscondere magis studuit quam erogare. Et scimus quod in Dei tabernaculo non solum phialae, sed, praecipiente Domino, etiam cyathi facti sunt (EXOD. XXXVII, 16). Per phialas quippe doctrina exuberans, per cyathos vero parva atque angusta designatur scientia. Alius, doctrina veritatis plenus, audientium mentes inebriat. Per hoc ergo quod dicit profecto phialam porrigit. Alius explere quod sentit non valet, sed quia hoc utcumque denuntiat, profecto per cyathum gustum praebet. In Dei ergo tabernaculo, id est in sancta Ecclesia, positi, si per doctrinae sapientiam ministrare phialas minime potestis, in quantum pro divina largitate sufficitis proximis vestris boni verbi cyathos date. In quantum vos profecisse pensatis, etiam vobiscum alios trahite, in via Dei socios habere desiderate. Si quis vestrum, fratres, ad forum aut fortasse ad balneum pergat, quem otiosum esse considerat ut secum veniat invitat. Ipsa ergo terrena actio vestra vos conveniat, et si ad Deum tenditis, curate

ne ad eum soliveniatis. Hinc etenim scriptum est: *Qui audit, dicat: Veni* (APOC. XXII, 17); ut qui iam in corde vocem superni amoris acceperit, foras etiam proximis vocem exhortationis reddat. Et fortasse panem, ut indigenti eleemosynam porrigat, non habet; sed maius est quod tribuere valeat, qui linguam panem satiare. Nolite ergo, fratres, proximis vestris eleemosynam verbi subtrahere. Mecum vos admoneo, ut ab otioso sermone parcamus, inutiliter loqui declinemus. In quantum reniti linguae praevalemus, in ventum verba non defluant, cum iudex dicat: *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicii* (MATTH. XII, 36). Otiosum quippe verbum est, quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione iustae necessitatis caret. Otiosa ergo colloquia ad aedificationis studium vertite; quam celerrime huius vitae tempora fugiant, considerate; quam districtus veniat iudex attendite. Hunc ante oculos vestri cordis ponite. Hunc proximorum vestrorum mentibus intimare; ut in quantum vires suppetunt, si annuntiare eum non negligitis, vocari ab eo Angeli cum Ioanne valeatis quod ipse praestare dignetur qui vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

Varia de Adventu, ex S. Carolo Borromeo.
ACTA ECCL. MEDIOLAN. II, 916.

LICET ex animarum vestrarum, dilectissimi, pastoralis cura cui benedictus Deus pro benignitate sua nos praefici dignatus est, paternam teneamus charitate et sollicitudine vos de rebus ad salutem vestram spectantibus monere semper et ad eas adhortari; id tamen his imprimis temporibus a nobis expetit, cum afflante Spiritu sancto pia

mater Ecclesia in redemptionis nostrae celebrandis mysteriis, et in agenda pro tot tantisque beneficiis quae misericors Deus nobis largitus est, memoria, specialem adhibeat diligentiam et studium, quo vos eius filii in eorum omnium consideratione instituantur, et in rependendis divinae Maiestati gratias, et pro viribus suis officiis omnes ut satisfaciant, excitentur. Ideo nos sacri Adventus tempus inchoantes, quo Ecclesia sancta nostram cum Deo Christi Domini nascentis interventu, reconciliationem nobis repraesentat, aliquas instructiones vobis ac littera tradendas paterno affectu statuimus, ut ad maioris pietatis quam a vobis illa expetit, studium vos provocet, dum specialibus divinis Officiis, Orationibus, sanctissimisque ritibus, et ceremoniis tempus hoc solemnissimum celebrando fideles suos nititur movere et excitare, quibus accuratori diligentia Christum Dominum excepturi se praeparant, et perpetuam eius cum ipsis unionem valeant obtinere. Quod equidem officium tanto magis ad nos spectat, quod non sine mysterio ex Dei providentia, et ex sancti Patris Ambrosii instituto, Adventus hac in Ecclesia aliquot ante diebus, quam aliis in Ecclesiis inchoari consueverit. Unde aequum est ut sicut nos monemur Christi Domini venientis in mundum memoriam priores aliis celebrare, sic maiori apparatu eum excipiamus, et in cordis nostri penetralibus nitamur eum conservare.

FERIA SECUNDA

Homilia S. Thomae Aquinatis.
IN MATTH. CAP. XI.

IOANNES autem cum audisset in vinculis opera Christi. Posita est doctrina Christi, et confirmata, et instructi sunt praedicatores; hic confutatur rebelles. Et primo confutatur discipulos Ioannis; secundo scribas, ibi: *Illis autem abentibus*, etc. Circa primum tria facit. Primo dubitantes confutat; secundo arguit turbas, ibi: *Cui autem similem aestimabo generationem islam?* tertio persolvit gratias de fide Apostolorum, ibi: *In illo tempore respondens Iesus dixit*, etc. Circa primum ponitur quaestio; secundo quaestiois so-

luto, ibi: *Et respondens Iesus etc.* Dicit ergo: *Cum audisset in vinculis opera Christi.* Ponitur occasio, quare misit istos. Idem habetur Luc. VII, tamen alio ordine. Dicit ergo quod erat in vinculis, ut sup. IV. Tunc inceptus Iesus miracula facere. Et hoc erat conveniens, ut sol non appareret dum nubes essent. Infra (hoc cap.): *Lex et Prophetiae usque ad Ioannem.* Opera, id est miracula, Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi.

Quidam volunt ex hoc condemnare Ioannem, quia dubitavit an esset Christus, et constat quod dubius in fide est infidelis. Ambrosius super Lucam dicit, quod haec quaestio non fuit infidelitatis, sed pietatis: non enim loquitur de adventu in mundum, sed de adventu ad passionem. Unde miratur si venerat ad patiendum, sicut dixit Petrus: *Propitius esto tibi, Domine* (infra XVI, 22). Sed contra dicit Chrysostomus, quia Ioannes a principio praescivit, cum dixit, *Ecce agnus Dei* (IOANN. I, 29). Constat ergo quod scivit eum fore hostiam immolendam; unde commendatur hic a Domino, quod sit plusquam propheta; sed prophetae non fuerunt futura. Alia ratio est Gregorii, quod non est quaestio de adventu in mundum, nec ad passionem, sed de descensu ad inferos, quia Ioannes propinquus erat eundo ad inferos, ideo voluit certificari: *Tu es qui venturus es, etc.*

Sed contra hoc obiicit Chrysostomus. Apud illos qui sunt apud inferos, non est status poenitentiae: unde videtur, quod frustra diceret istud. Sed hoc non est contra Gregorium, quia voluit non ut nuntiaret captivis conversionem, sed iustus ut gauderet. Alia responsio. Legimus quod Dominus multoties interrogaret, non quia dubitaret, sed ut calliditiam tolleret, ut in Ioann. XI, 34 interrogavit de Lazaro: *Ubi possidit eum?*

non quia ignoraret, sed ut illi qui ostenderent sepulcrum, non possent negare, nec calumniari: ideo sic fuit de Ioanne: quia discipuli eius calumniabantur de Christo; ideo ipse misit, non quia ipse dubitaret, sed ne ipsi calumniarentur, sed confiterentur. Sed quare non ante miserat? Quia ante semper erat cum eis, et ideo certificabat eos; sed cum voluit discedere ab eis, voluit quod ipsi per Christum essent certi.

92 Dicit ergo: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Verum est, quod patres nostri exspectaverunt te, ut habetur Exod. iv. *Et respondens ait illis*, etc. Hinc tangitur Christi responsio. Ioannes habuit multos discipulos, ut habetur Ioann. iv. Erat ergo inter eos contentio, quia videntes opera Christi praeferēbant Christum Ioanni. Item videntes abstinentiam Ioannis, praeferēbant Ioanni Christo. Unde primo quaestionem ponit; secundo commendat Ioannem. Circa primum respondet secundum adventum ad passionem. Veniet tempus quo Deus passurus est, et multi scandalizabuntur, quia *Iudaeis scandalum* (I Cor. i, 23). Unde respondet quando hoc erit. Secundum Chrysostomum ostendere vult quod ille venit, quem prophetae praedixerunt. Unde per prophetas tria erant promissa. Aliquando promittebatur adventus Dei, in aliquibus adventus novi doctoris, in aliquibus adventus sanctificationis et redemptionis. Quomodo ergo cognoscemus quod iste veniet? Et respondet eo modo quo respondetur (Is. xxxv, 4): *Ecce Deus veniet, et salvabit nos*, etc. Unde videbitis ista miracula. *Nuntiate*, ergo, *Ioanni quae audistis*, in doctrinis, et *vidistis*, in miraculis. Item promittebatur doctor; Iocelis ii, 22: *Filii Sion, exsultate*; et sequitur, *quia dedit vobis doctorem iustitiae. Caeci vident*, etc. Et hoc ad litteram. Item

si quaeris quando veniet. Is. lxi, vers. 1: *Spiritus Domini super me, ad annuntiandum mansuetis misit me*, vel ad evangelizandum; et hoc significatur, cum dicitur: *Pauperes evangelizantur*. Aliquid proprium voluit significare, quasi dicat: Veniet ponere novam doctrinam. *Pauperes evangelizantur*, id est evangelizatur paupertas; unde sup. v, 3: *Beati pauperes spiritu*, etc.; et Luc. iv, 18: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me*. Item veniet aliquis sanctificatus sanctificans peccatores. Unde Is. viii, vers. 13: *Dominum exercituum, ipsum sanctificate*. Unde aliquibus promittebatur sanctificatio, quibus sanctificatis alii scandalizabuntur; unde dicitur: *Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me*. Unde ad Hebr. ult., 12: *Propter quod et Iesus ut sanctificaret per proprium sanguinem populum, extra portam passus est*. Ideo ostendit signa de adventu.

93 Et si moraliter loquamur, per hoc significatur totus processus sanctificationis hominis. Primo enim peccatori accidit caecitas, quando ratio obtenebratur; Psal. lvi, 9: *Supercecidit ignis, et non viderunt solem*; et Is. xliii, 8: *Educ foras populum caecum, et oculos habentem*. Claudus dicitur quando ad diversa mens trahitur, ut dicitur (III REG. xviii, 21): *Ut quid claudicatis in duas partes?* Item fit ulcerosus in insidiis, et leprosus, quia tunc retrahi non potest, et alios inficit. Et post surdus efficitur, quia castigatio non auditur. Ulterius moritur; Ephes v, 14: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis*. Et omnes istos sanat Dominus. Ultimo fit pauper spiritu, ita quod non est in eo sanitas; Ps. xxxvii, 8: *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: et non est sanitas in carne mea*, etc. Et istos Dominus sanat, et sanati in quamdam soliditatem

mentis conscendunt, ubi est vera pax: *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum*, (Ps. cxviii, 65).

94 *Illis autem abeuntibus*, etc. Hic satisfacit dubitationi turbarum. Turbae autem audierant testimonium Ioannis de Christo; sed modo videbantur dubitare. Tria enim poterant habere in corde, quia triplici ratione mutat aliquis verbum suum: vel propter animi levitatem, vel propter aliquod commodum, vel quia ex humano spiritu, quando nesciat veritatem, et post cognoscat illam. *Scit enim Deus, quoniam cogitationes hominum vanae sunt* (Ps. xciii, 11). Ideo primo excludit ab eo levitatem secundo appetitum commodi; tertio ostendit cum propheticam habere veritatem. Dicit ergo: *Illis abeuntibus*, etc. Docet nos Dominus magnam curialitatem, quia noluit Ioannem laudare discipulis suis praesentibus, sicut nec aliquem in sua praesentia, sicut habetur: *Laudet te alienus, et non os tuum: extraneus, et non labia tua* (Prov. xxvii, 2). Quia si bonus est qui laudatur, erubescit; si malus est, adulatur. *Coeepit Iesus dicere ad turbas: Quid existis in desertum videre?* Numquid existis ad videndum *arundinem?* Non. Sed existis videre hominem firmum. Arundo autem de facili movetur; unde animus cito mutabilis ventus reputatur. Ad Ephes. iv, 14: *Ut non simus iam parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento*. Item non est levis pro aliquo commodo. *Sed quid existis videre?* Omnes enim divitiae ad aliquam utilitatem pertinent corporis, et hoc vel in cibo, vel in vestitu: et constat quod in nullo horum facit vim. Non est ergo credendum quod pro aliquo commodo hoc dicat; unde dicit: *Quid existis videre? Hominem mollibus vestitum?* Et quare non facit mentionem de cibo? Quia non poterat esse dubium.

Vestiebatur autem de pilis camelorum. Unde *qui mollibus vestiuntur*, non sunt in deserto, *sed in domibus regum*. Aliiter exponitur secundum Chrysostomum. Aliqui ex natura leves fiunt, aliqui ex deliciis, ut Osee iv, 11: *Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor*. Primum amovet per prius dictum: secundum per hoc quod dicit: *Mollibus vestitum*; ideo non est inconstans ex deliciis vitae.

95 Sed hic potest fieri quaestio de deliciis vestitus, utrum sit peccatum; quia si non est peccatum, non imputaretur illi diviti, qui quotidie induebatur purpura et bysso (Luc. xvi, 19). Respondet Augustinus, quod talia non sunt consideranda, sed affectus utentis: quilibet enim debet indui ad modum simul convenientium, ideo magis enucleanda est consuetudo. Nam in aliquibus terris omnes, aut plures induunt serico. Unde aliqui strictius induunt, aliqui latius, et utroque modo distinguitur: si restrictus, aut intentione bona, et hoc est bonum: aut propter vanam gloriam, et hoc malum. Si latius, aut propter superbiam, et hoc malum: aut propter significationem, ut pontifex et sacerdos et hoc bonum.

96 Mystice per homines qui mollibus vestiuntur, significantur adulatores: ille enim mollibus vestitur, qui verbis blandis molitur, ut in ore homines superbi quaerant gloriam. Et: *Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios*. (Prov. xxix, 12).

97 Sed dicerent: Non est inconstans, sed humano spiritu loquitur, ideo hoc amovet: *Sed quid existis videre? Prophetam*, etc. Unde testimonium prohibet quod non humano spiritu, sed prophético loquebatur. Unde primo ostendit esse prophetam; secundo plusquam prophetam. Fuit enim propheta, ut habetur: *Et tu, puer, propheta Altissimi voca-*

beris, etc. (Luc. 1, 76). Item exollit eum super prophetas dicens: *Dico vobis: etiam plusquam prophetam*: et hoc quantum ad tria. Primo, quia prophetae est futura praedicere; iste autem non solum futura, sed etiam praesentia ostendit dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (IOANN. 1, 29). Item non dicitur solum propheta, sed etiam Baptista, (ut supra III). Item Praecursor, ut habetur: *Praeibis enim ante faciem Domini parare vias eius* (LUC. 1, 76). Item quantum ad modum: miraculosus enim egit, quam propheta, quia iste ex utero prophetauit, alii non, ut habetur Luc. 1, 44: *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit infans in gaudio in utero meo. Hic est enim de quo scriptum est. Hic probat Dominus excellentiam Ioannis. Et primo per auctoritatem; secundo per specialia eius privilegia, ibi: Amen dico vobis, etc. Dicit ergo: Dixi quod est plusquam propheta, de quo habetur Malach. III, 1: *Ecce ego mitto angelum meum qui praeparabit viam tuam ante te*, etc. In hac auctoritate ponuntur excellentiae Ioannis, quia primo vocat eum angelum: angelus enim est supra prophetam, quia sicut sacerdos est medius inter prophetam et populum, sic propheta inter angelos et sacerdotes. Angelus autem inter Deum et prophetas; unde Zacharias dicit: *Angelus qui loquebatur in me*, (ZAC. 1, 9). Angelus est nomen officii, non naturae; unde Ioannes angelus dicitur ex officio: differentia est enim inter angelum et prophetam, quia angeli manifeste vident, unde habetur inf. XVIII, 10, ubi dicitur: *Dico enim vobis, quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in caelis est*. Angeli semper vident faciem Dei, prophetae vero non. Unde sicut angeli semper vident faciem Patris, sic Ioannes specialiter Christum*

vidit: et ideo quia specialiter, ideo dicit: *meum*. Item dicit: *Ante faciem meam*. Quando rex vadit, praecedunt multi, sed magis familiares praecedunt faciem suam; sic Ioannes honorabilior, dicitur quia missus ante faciem eius: tanto enim honorabilior, quanto propinquior. Item iste praeparabat viam, quia baptizabat; unde dicit: *Qui praeparabit viam ante te*.

Varia de Adventu, ex S. Carolo Borromeo.
(ACTA ECCL. MEDIOLAN. II, 949).

98
ECCLE diletissimi, tempus illud adeo celebratum, et solemne tempus, ut ait Spiritus sanctus, acceptabile, dies salutis, pacis et reconciliationis, tempus quod ut tot olim votis et suspiriis enclius ab antiquis Patriarchis et Prophetis ardentissime concupitum, cum effusa lactitia a iusto Simeone tandem visum, et semper ab Ecclesia solemni ter adeo celebratum, sic a nobis debet pia mente, laudibus, et gratis aeterno Patri, pro exhibita in hoc mysterio misericordia, in perpetuum habendis peragi; hoc nempe Unigeniti sui Adventu ex immenso in nos peccatores amore illum misit, qui a Daemonis tyrannide et imperio nos vindicaret, ad coelum invitaret, in coelestia penetralia nos introduceret, veritatem ipsam nobis exhiberet, in morum rectitudine nos institueret, virtutum semina communicaret, gratiae suae thesaurus locupletaret, nos denique in filios suos et vitae aeternae haereditate ascriberet.

99
Hoc equidem mysterium dum annum ab Ecclesia recolitur, monemur ut tantae charitatis nobis exhibitae memoria in perpetuum renovetur; nos item edocet Christi Adventum non his modo qui Salvatoris illius aevo vivebant, profuisse, sed eius virtutem nobis omnibus adhuc communicandam, si sanctae Fidei et Sacramentorum opera gratiam, quam nobis ille promeruit, excipere et iuxta eam vitae nostrae mores sub eius obedientia dirigere velimus. A nobis adhuc expetit Ecclesia, ut intelligamus quod ut semel in carne venit in mundum, sic sublato ex parte nostra obice, qualibet hora et momento ad nos iterum venire paratus sit, nostris in animis cum gratiarum abundantia spiritaliter habitaturus.

100
Hinc Ecclesia ut mater piissima salutisque nostrae studiosissima ex temporis huius occasione hymnis, canticis aliisque Spiritus sancti vocibus,

101
ritibusque nos edocet, quo pacto tantum beneficium grato animo excipiamus, eiusque fructu ditemur, et ideo ad Christi Domini Adventum mens nostra non minori apparatu, ac si adhuc venturus esset in mundum, disponatur; nec diverso ab eo tam verbis quam exemplis veteris Testamenti, Patres eos ut imitemur, nos edocuerunt.

FERIA TERTIA

Homilia S. Bernardi Abbatis.
DE ADVENTU DOMINI, SERMO 7.

101
S I devote celebramus Adventum Domini, id facimus quod oportet: siquidem non modo ad nos, sed et propter nos venit qui bonorum nostrorum non eget. Verum nostrae quidem indigentiae quantitatem manifestus ipsa dignationis eius indicat magnitudo. Nec modo periculum acritudinis ex ipso pretio medicaminis innotescit, sed et valetudinum numerus ex multitudine remediorum. Ut quid enim divisiones gratiarum sunt, si non videtur necessitatum ulla diversitas? Et quidem difficile est universas uno sermone prosequi indigentias quas experimur: sed occurrunt mihi interim tres, communes omnibus et quodammodo principales. Nemo enim reperitur in nobis qui non interim et consilii et auxilii et praesidii indigus videatur. Nimirum generalis est humano generi miseria triplex; et quotquot degimus in regione umbrae mortis, in infirmitate corporis, in loco tentationis, si diligenter advertimus, triplici hoc incommodo miserabiliter laboramus. Nam et faciles sumus ad seducendum et debiles ad operandum et fragiles ad resistendum. Si discernere volumus inter bonum et malum, decipimur: si tentamus facere bonum, deficimus: si conamur resistere malo, deicimur et superamur.

102
Necessarius proinde Salvatoris adventus; necessaria sic praecoccupatis hominibus praesentia Christi. Atque utinam sic veniat ut copiosissima dignatione sua et in nobis per fidem habitans illuminet caecitatem nostram, et nobiscum manens adiuvet infirmitatem nostram, et pro nobis stans fragilitatem nostram protegat et propugnet. Si enim ille in nobis, quis iam decipiat nos? Si ille nobiscum, quid de cetero non possumus in eo qui confortat nos? Si ille pro nobis, quis contra nos? Fidelis consiliarius est, qui neque falli omnino, neque fallere queat; fortis auxiliarius, qui non lassescat; patronus efficax, qui et ipsum satanam sub pedibus nostris velociter conterat et omnia eius machinamenta confringat. Nimirum ipse est Dei sapientia, cui semper in promptu sit instruere ignorantes: ipse Dei virtus, cui facile sit et deficientes reficere et eripere periclitantes. Ad hunc ergo tantum eruditorem, fratres mei, in omni deliberatione curramus: hunc tam strenuum adiutorem in omni operatione invocemus: huic tam fido propugnatori in omni collectatione committamus animas nostras: qui ad hoc ipsum venit in mundum ut, habitans in hominibus, cum hominibus, pro hominibus, et tenebras nostras illuminaret et labores levaret et pericula propulsaret.

Varia de Adventu, ex S. Carolo Borromeo.
(ACTA ECCL. MEDIOLAN. II, 917).

103
E T quidem licet mille annis vixerimus, et interea in Adventus contemplantur semper mysterio praeparandisque ad illud piissime celebrandum animis dederimus operam; id omne vix esset aliquid quod officii nostri, quod in hac occasione debet adhiberi, amplitudine et debito queat aequiparari.
104
Nunc vero sollemnis huius quotannis habetur memoria, ut hac ratione aliquo saltem tempore his spectatim a nobis suppleatur, quae in antea actis omissimus.

FERIA QUARTA

Homilia S. Augustini Episcopi.

SERMO 66.

105 Ad quam curam et diligentiam speciale huius Ambrosianae Ecclesiae institutum nos provocat; quae quidem cum Adventus celebratione quae sex hebdomadis Christi natalitia praecedit, non modo Patrum expectationem et pro Messiae Adventu apparatus per sex mundi aetates quae ab eius creatione ad hunc Adventum numerantur, ab oculis proponat, sed etiam excitet, nobisque modum tradat, quo per virili ad hunc celebrandum singuli disponamur.

106 Ut agatis nunc quae pro ipso apparatu cum animae vestrae uberiori proventu agenda sunt, id imprimis a vobis exoptamus, his sanctis diebus nonnulli temporis a solitis exercitiis quotidie subtrahatur, in occurrentis mysterii meditatione, plique et attentata contemplatione impendendum.

107 Cogitatio scilicet quisille qui ad nos venit; quanta eius maiestas; unde egressus est; quo progreditur; qua ratione id fiat; qui simus nos ipsi, ad quos venit; quibus de causis hoc sibi consilium proposuit; quid denique apud nos agendum habeat in animo.

108 In earum rerum consideratione videbitis hunc esse Deum ab aeterno, Creatorem nostrum et Dominum, eumque ex infinita misericordia et amoris in nos peccatores, ideoque inimicos et rebelles vehementia e coelo descendisse, humanamque carnem et servi formam cum sumpsisset, in hanc miseriarum vallem salutis nostrae causa venisse, quod sancta nunc Ecclesia tot modis nobis exhibet, et ex mysterii excellentia illud idem continuo his verbis in symbolo sibi proponit: *Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis: Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est.*

109 Hic porro Dominus in nos divina sua gratia venire nunc expetit. Cogitate ergo qua animi praeparatione hoc sacrum Adventus festum agere teneamini; quanto cultu animae vestrae domus, ne in ea quidquam eius oculos offendat, sed et omnia ardeant, ornanda sit; quot votis et desideris eiusmodi Adventus exoptandus sit; quanto honore Deus ille excipiendus; quantum ne a vobis discodat exitundum; qua ratione, quantum ex eius gratia in vobis est, tanto amori quem vobis significavit vestro vicissim reponendum; quo denique modo, curasse iuvat, ne eius ad vos Adventus vanus et inutilis evadat, sed in moribus proventum quem alii solent percipere, ipsi sentiat.

LECTIO sancti Evangelii quaestionem nobis proposuit de Ioanne Baptista. Adiuvet nos Dominus ut solvamus eam vobis, quomodo eam solvit nobis. Ioannes Christi testimonio laudatus est, ut audistis; et sic laudatus ut in natis mulierum non surrexisset maior. Sed maior illo erat natus ex Virgine. Quantum maior? Ipse praeco dicit, quantum intersit inter se et iudicem suum, cuius praeco est. Antecessit enim Christum Ioannes, et nascendo, et praedicando: sed antecessit obsequendo, non se praefereendo. Nam et officium totum ante iudicem ambulat; et qui ambulat priores, ipsi sunt posteriores. Quantum ergo testimonium perhibuit Ioannes Christo? Ita ut diceret non se dignum esse, qui solveret corrigiam calceamenti eius. Adhuc quid? *Nos, inquit, de plenitudine eius accepimus* (IOANN. I, 27, 16). Lucernam se confessus est de illo accensam, et ideo ad pedes eius confugit, ne ad alta petens vento superbiae exstingueretur. Tam quippe magnus erat, ut Christus putaretur; et si non ipse testis suus esset quia non erat ipse, remaneret error, et putaretur ipse. Qualis humilis? Deferebatur illi honor a populo, et ipse respuebat. Errabant homines in eius magnitudine, et ipse se humiliabat. Nolebat crescere hominum verbis, quia comprehenderat Dei Verbum.

Ergo hoc Ioannes de Christo: Christus de Ioanne quid? Modo audivimus: *Coeptit dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento moveri?* Utique non; quia Ioannes non circumflabatur omni vento doctrinae. Sed

quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Non; quia Ioannes aspera erat veste vestitus: habebat enim vestem de pilis camelorum, non de plumis. *Sed quid existis videre? prophetam?* Ita: et maior quam propheta. Quare maior quam propheta? Venturum Dominum praenuntiaverunt quem videre desideraverunt, et non viderunt: huic autem praestitum est quod illi quaesierunt. Vidit Dominum Ioannes, vidit; digitum in eum intendit, et ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (Ibid. 29); ecce est. Iam venerat, et non agnoscebat: et ideo et in ipso Ioanne errabat. Ecce est hic quem desideraverunt videre Patriarchae, quem praenuntiaverunt Prophetae, quem praesignavit Lex. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, et ille bonum testimonium perhibuit Domino, et Dominus illi: *In natis mulierum*, inquit Dominus, *nemo surrexit maior Ioanne Baptista: qui autem minor est in regno caelorum, maior est illo*; minor tempore, maior maiestate. Se ipsum volens intelligi hoc dixit. Valde inter homines Ioannes est magnus, quo solus inter homines maior est Christus. Potest et sic distingui et solvi: *In natis mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista: qui autem minor est in regno caelorum, maior est illo*. Non sic quomodo paulo ante dixi: *Qui autem minor est in regno caelorum maior est*: regnum caelorum dixit, ubi Angeli sunt; qui ergo inter Angelos minor est, Ioanne maior est. Commendavit regnum quod desideremus: proposuit civitatem, cuius cives esse cupiamus. Quales ibi cives? quam magni cives? Quisquis ibi minor est, Ioanne maior est. Quo Ioanne? Quo nemo maior surrexit in natis mulierum.

112 Audivimus verum et bonum testimonium et Ioannis de Christo, et Christi de Ioanne. Quid sibi ergo vult, quod

misit ad eum discipulos suos Ioannes, cum inclusus esset in carcere iam occidendus, et ait discipulis suis: *Ite, dicite illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Ipsa est toto laudatio? Illa laudatio facta est dubitatio? Quid dicis, Ioannes? cui dicis? quid dicis? Iudici dicis, praeco dicis. Tu digitum intendisti, tu eum ostendisti: tu dixisti: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Tu dixisti: *Nos omnes de plenitudine eius accepimus*; tu dixisti: *Non sum dignus corrigiam calceamenti eius solvere*. Et modo tu dicis: *Tu es qui venis, an alium expectamus?* Ille ipse non est? Tu quis es? Nonne tu es praecursor ipsius? Nonne tu es de quo praedictum est: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, et praeparabit viam tuam*? Quomodo viam praeparas, et tu et erras? Venerunt ergo discipuli Ioannis; et Dominus ad illos: *Ite, dicite Ioanni: Caei vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, pauperes evangelizantur: et beatus qui in me non fuerit scandalizatus*. Nolite suspicari Ioannem scandalizatum esse in Christo. Et tamen verba quasi sic sonant: *Tu es qui venis?* Opera interroga: *Caei vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur*: et quaeris an ego sum? Opera, inquit, mea, verba mea sunt. *Ite, renuntiate*. Illis autem abentibus. Ne forte aliquid dicat: Bonus erat primo Ioannes, et Spiritus Dei deseruit illum: ideo ista dixit post eorum discessum; post discessum ipsorum quos miserat Ioannes, Christus laudavit Ioannem.

113 Quid sibi ergo vult obscura quaestio? Luceat sol, unde illa lucerna accensa est. Prorsus ita solutio evidens solutio est. Ioannes seorsum habebat discipulos: non separatus, sed testis paratus. Oportebat enim ut talis perhiberet testimonium

Christo, qui et ipse discipulos colligebat, qui ei poterat invidere, si non possit videre. Ergo quia pro magno habebant discipuli Ioannis, magistrum suum Ioannem; audiebant a Ioanne testimonium de Christo, et mirabantur: moriturus, ab illo eos voluit confirmari. Sine dubio enim illi dicebant apud se ipsos: Iste de illo tanta dicit, ipse de se ista non dicit. *Ite, dicite illi*: non quia ego dubito, sed ut vos instruamini. *Ite, dicite illi*: quod ego soleo dicere, ab ipso audite; audistis praeconem, confirmamini a iudice. *Ite, dicite illi*: *Tu es qui venis an alium expectamus?* Ierunt, et dixerunt; propter se, non propter Ioannem. Et propter illos dixit Christus: *Caeci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Videtis me, agnoscite me: videtis facta, factorem agnoscite. *Et beatus qui in me non fuerit scandalizatus.* Sed de vobis dico, non de Ioanne. Nam ut sciremus quia non de Ioanne dixit: *Illis abeuntibus coepit dicere ad turbas de Ioanne*; dixit laudes eius veras verax, veritas.

114 Puto satis istam solutam esse questionem. Sufficiat ergo usque ad eius solutionem perduxisse sermonem. In mente habete pauperes: facite qui nondum fecistis: credite, non perditis; imo hoc solum perditis, quod non fertis ad quadrigam. Iam reddendum est pauperibus quod obtulistis, qui obtulistis: et multum minus habemus ad summam quam soletis offerre: excutite pigritiam. Ego factus sum mendicis mendicorum: quid ad me? Ego sim mendicis mendicorum, ut vos numeremini in numero filiorum.

Varia de Adventu, ex S. Carolo Borromaeo.

(ACTA ECCLES. MEDIOLAN. II. 947.)

115 **A**UDETIS modo Ecclesiae voces, quas instante Christi Domini Adventus tempore ex Prophetarum lectionibus adhibet, quae tam ad hunc Adventum manifestandum, quam ad morum nostrorum emendationem spectant; sic etiam eadem sacris suis Officiis quae de novo resumit, vestium et paramentorum coloris mutatione, nonnullorum laetitiae cantuum omissione, et paucis ante ipsius Domini natalitia diebus Antiphonarum et responsoriorum propriis Officiis, usu et ceremoniis, quod nostra in Ecclesia Officium de *Exceptato* vocatur, nos enixius provocat, ut mentes nostras sedulo emundemus, pro peccatis misericordiam exposcamus, et poenitentiae opera spiritualiter renovemus, talemque morum rationem tandem ineamus qua nostrum cuique cum Propheta dicere liceat: *Nunc coepi, haec mutatio dexteræ Excelsi*; nec alias piissimus ille Dominus ad nos venire amplius dignetur, aut molestum sit illi cum gratiarum abundantia nobiscum diversari.

116 Nec si alia etiam occurreret ratio quam ut de tanto hospite hac arte bene mereremur, cuique pro viribus nitendum foret, ut conscientiam suam a quibuscumque naevis mundam servaret, et pro Dei Adventu eodem saltem disponderet apparatus, qui pro principis terreni ad nos accessu solet adhiberi, cuius causa, ut nostis, cubicalia ornantur, nec ullis sumptibus paritur, idque saepe sine ullo proventu.

117 Quod sane ne contingat, hac in occasione non extimescendum; Deus siquidem maximum lucrum et fructum pro eo quod in eius cultum et honorem impenderit, reponit, quamvis a vobis etiam expectemus ut ad huiusmodi mercedem non tam attendatis, quam ut eius oculis ac ei dumtaxat placeatis, existimantes scilicet vel ex hoc solo satis praemii vos accepisse.

118 His considerationibus et sanctae Ecclesiae vocibus praevias a pietate vestra expectamus neminem inter vos futurum qui ad confessionis, delinque ex confessoris consilio ad communionis Sacramentum maximo cum apparatu non accedat, ut Salvatoris nostri corpore donati, eius etiam gratiam et dona quae suo Adventu nobis communicatur est, una simul omnes excipiamus.

FERIA QUINTA

Homilia S. Ioannis Chrysostomi.

IN MATTHAEUM HOMILIA 37.

119 **Q**UAE ad discipulos Ioannis spectabant recte ordinata sunt; illique discesserunt, a signis quae statim facta sunt confirmati: restabat demum, ut quae ad populi opinionem pertinebant curarentur. Illi quippe de magistro suo nihil supra dictorum suspicabantur; turba vero populi, ex interrogatione discipulorum Ioannis, absurda multa suspicata est, quod nesciret qua mente ille discipulos misisset: verisimileque est illos sic intra se ratiocinatos esse: Qui tot tantaque testificatus erat, nunc mutatus dubitat, num hic, num alius venturus sit? Num qui haec dicit dissidia cum Iesu movet? num timidior ex carcere factus? num temere priora dixerat? Quia igitur verisimile erat ipsos talia multa suspicari, vide quomodo illorum infirmitatem corrigat, et has amoveat suspiciones. *Euntibus enim illis, coepit dicere turbis.* Cur *Euntibus illis?* Ne videretur adulari virum. Dum autem populi opinionem emendat, illius suspensionem non adducit in medium, sed solutionem tantum affert ratiociniorum, quae illorum mentem turbabant, ostendens se omnium secreta cognoscere. Neque enim dicit sicut Iudaei dicebat: *Quid cogitatis mala?* (MATTH. IX, 4). Etiam si enim cogitarent, non ex malignitate cogitabant, sed quod ea quae dicebantur ignorarent. Ideo non acriter alloquitur illos, sed illorum mentem tantum corrigit, Ioannemque defendit, probatque illum non a priorie sententia deflexisse, nec mutatum fuisse. Neque enim est, inquit, homo levis vel volubilis, sed firmus, constans; nec talis, qui prodatur ea quae sibi concredita sunt. Haec autem

ita concinnat, ut non statim ex propria sententia, sed ex illorum testimonio procedat: non ex dictis tantum ipsorum, sed et ex operibus ostendens ipsos eius constantiam testificatos esse. Propterea dicit: *Quid existis in desertum videre?* ac si diceret: Cur relictis urbibus, aedibusque, in desertum convenistis omnes? ut miserum quemdam et levem hominem videretis? Sed id contra rectam rationem esset. Neque enim ita arguitur ex illo tanto studio, quo in desertum accurreristis: nec tantus populatus, tot civitates cum tanto studio in desertum et ad Iordanem diffusae essent, nisi magnam quemdam, admirandum et constantissimum virum vos visuros sperassetis. Neque enim calamus existis visum, a vento agitur; nam leves homines, qui huc illic circumferuntur, et modo haec, modo illa dicunt, in nullaque re consistunt, calamo sunt similes. Ac perpende quomodo omni dimissa malitia, de hac sola nunc agat, quae ipsos subierat, levitatis suspicione, quam amovere conatur. *Sed quid existis videre? hominem mollium vestium?* Ecce qui mollium vestiantur, in domibus regum sunt. Quod vero dicit, est huiusmodi: A seipso ille non volubilis est: idque vos declarastis ex vestro erga illum studio. Neque illud dici possit, illum olim constantem primum fuisse, sed ex deliciis postea mollem effectum esse. Nam apud homines quidam sic nascuntur, alii tales postea fiunt: exempli causa, alius natura sua iracundus est, alius ex longa acritudine in hunc animi morbum incidit. Sic alii inconstantes et leves natura sua sunt, alii quod deliciis et voluptati indulserint, tales sunt effecti. At Ioannes, inquit, non natura talis est: neque enim calamus existis videtis, neque voluptati deditus eam quam habebat animi dotem amisit. Quod enim voluptati non serviat, id arguunt vestitus eius,

desertum, carcer. Nam si mollibus vestiri voluisset, non desertum coluisset, non carcerem, sed regiam. Licebat enim illi, si tacuisset, ingenti frui honore. Etenim quem Herodes vel redarguente sem et vincum ita reverebatur, certe si tacuisset erat adulaturus. Cum ergo gestis suis firmitatis constantiaque suae experimentum dederit, quomodo in tales suspiciones iure cadat?

120 Postquam ergo et a loco, et a vestibus, et a concursu populi mores eius descripsit, induxit postea prophetiam. Cum dixisset enim: *Quid existis videre? Prophetiam? Etiam dico vobis, et plus quam prophetiam*; addit: *Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te* (MALACH. III, 1). Cum prius Iudaeorum testimonium adduxisset, tunc prophetam affert. Quinimo Iudaicum calculum primo ponit, quod maximum est argumentum, quando inimicorum testimonium affertur: secundo, Iohannis vitam; tertio, iudicium suum; quarto, prophetam, undique illorum ora claudens. Deinde ne dicerent: Quid ergo si talis cum esset iam mutatus sit? cetera adiecit, vestimenta, carcerem, et postea prophetiam. Postea vero cum dixisset illum propheta maiorem esse, ostendit in quo sit maior. In quo ergo maior est? Quod sit prope eum qui advenit. Nam ait: *Mittam angelum meum ante faciem tuam*; id est, prope te. Quemadmodum enim apud reges, qui prope curram incedunt, aliis dignitate maiores sunt: sic Iohannes prope Christum advenientem incedere cernitur. Vide quomodo hinc eius excellentiam declarat; neque hic gradum sistit, sed suam postea effert sententiam dicens: *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Iohanne Baptista*. Id est, non peperit mulier illo maiorem. Sufficit haec sententia; sed si vis ex

rebus ipsis ediscere, considera illius mensuram, victum, mentis sublimitatem. Nam sic vivebat, ac si in coelo fuisset, atque naturalibus superior necessitatibus, mirabilem quandam carcebat viam, in hymnis et orationibus totum tempus transigens, cum mortalium nemine, sed cum solo Deo colloquia miscens. Neminem quippe conservorum noverat, non se conspiciendum praebebat, non lacte alebatur, non lecto, non tecto, non foro, non alia quapiam humana re fruebatur; et tamen mansuetus erat simul atque vehemens. Audi igitur cum quanta moderatione discipulos alloquatur, cum quanta vi Iudaeos, cum quanta libertate regem. Ideoque dicebat Christus: *Non surrexit inter natos mulierum maior Iohanne Baptista*. Sed ne laudum magnitudo aliquid erroris pareret, neve Iudaei illum Christo praeferrent, vide quomodo hoc accommodet. Nam sicut ex quibus discipuli firmabantur, turbae detrimentum accipiebant, levem illum esse putantes: sic ex quibus turbae emendabantur, maius damnum accebat, cum ex dietis maiorem de illo quam de Christo sumebant opinionem. Illud ergo, nullam relinquens suspicionem, corrigit his verbis: *Qui autem minor est in regno coelorum, maior est illo. Minor, secundum aetatem, et secundum multorum opinionem: nam dicebant ipsum edacem esse et vini potatorem* (MATTH. XI, 19); et: *Nonne hic fabri filius est?* (Ibid. XII, 55) atque ubique ipsum despiciebant. Quid igitur, inquires, comparatus cum Iohanne maior erat? Absit. Neque enim Iohannes quando dicit: *Fortior me est* (Ibid. III, 11), id comparando dicit; neque Paulus, cum Moysen sic memorat, *Ampliori enim gloria hic quam Moyses dignatus est* (HEBR. III, 3), haec comparate dicit. Et ipse cum ait: *Ecce plus quam Salomon hic* (MATTH. XII, 24), haec non comparando dicit. Quod

si concedamus illum haec per comparationem dixisse, res ita ad audientium infirmitatem accommodata fuerit. In magna enim existimatione habebatur, illumque carcer insigniorem reddiderat, necnon libertas in arguendo rege, atque id libenter a multis sic accipiebatur. Etenim Vetus quoque Scriptura solet errantium animos emendare, comparando ea quae comparari non possunt; ut quando dicitur: *Non est similis tui in diis, Domine* (PSAL. LXXXV, 8), et rursum: *Non est deus sicut Deus noster* (PSAL. LXXVI, 14). Volunt autem quidam id de apostolis dixisse Christum alii de angelis; sed male. Nam cum semel quidam a veritate aberrarint, solent in multis deduci errores. Quae enim consequentia id vel de apostolis, vel de angelis dixisset? Alioquin vero, si de apostolis dixisset, quid vetabat quominus nominaret? Cum autem de seipso dicit, iure personam celat ob eam quae obtinebat opinionem; ac ne videretur magnum quidpiam de se dicere; id quod saepe observat. Quid autem illud est, *In regno coelorum?* In spiritualibus, et in coelestibus omnibus. Cum autem dicit: *Non surrexit inter natos mulierum maior Iohanne*, distinguebat se a Iohanne, et se subtrahebat comparationi. Nam si ipse inter natos mulierum erat, at non sicut Iohannes: neque enim homo tantum erat, nec sicut homo editus fuerat, sed stupendo quodam et mirabili partu.

Variâ de Adventu, ex S. Carolo Borromeo.
(ACTA ECCLES. MEDIOLAN. II, 918).

121 **A**LIUS porro, quem a vobis desideramus, apparatus, ieiunium est, sive veneris, sive sabbati, aliove die, aut pluribus, imo pro singulorum devotione toto Adventu agendum; quod a multis olim fidelibus observatum, utpote quibus totum hoc tempus sit instar Nataliorum Domini vigiliae; quod longius videri non debet, considerata festi illius excellentia.

Misericordiae adhuc imprimis vacetis operibus, 122 quorum ope ut habet Evangelium, ad obtinendam a Deo misericordiam disponimur.

123 Haec equidem licet quovis tempore exercenda sint, toto hoc tamen Adventu in illo est praecipue incumbendum, quo Domini nostri tanta erga nos benignitas ipsum ut imitemur data opera nobis exhibetur.

124 Cui rei tanto liberalius iuvat indulgendum, quanto anni huius penuria, et visera paupertas, multorumque necessitate et miseria laborantium clamor id a vobis exigit; ita scilicet ordinate divina Providentia, non modo in peccatorum nostrorum poenam et supplicium, sed etiam ut pauperes sua patientia, alii vero misericordia et clemosynarum in eos largitione utriusque mediante eius gratia habeant, quo temporalem simul et spiritualem proventum sibi comparent et consequantur.

125 Ut denique hoc Adventus mysterio significavit Deus nos, salutemque nostram cuius causa in hunc mundum venit, quanti faceret; sic absurdissimum foret eadem in occasione, si eum qui bonum ipsum est, et in quo omnes thesauri reconduntur, pauci habereamus.

126 Ideo vos ut fideles in optimum patronum famulos, ut Discipulos in Magistrum charissimum dilectissimos, ut filios Patris amantissimos obsequentissimos adhortamur oramusque, non modo cum vehementiori desiderio eum animo expectemus, sed lampadibus ad manum accensis ei, ut ipse loquatur, eatis obviam, nempe fide viva et ardenti charitate. Et quaecumque bona operatione munifi.

127 In ipsius autem Nataliorum festis, tempore quo eius Adventus accuratius exprimitur, quodque tanto maiorem a nobis devotionem, fervorem, et pietatis Officia exposcit, singuli devote recogitent quomodo, et quo cultu eum sint excepturi; cum gratiae opera eorum in mentibus spiritualiter iam natus sit, et ut hospes sibi iam in illis quasi divorsorium instituit; quae ratio et in omnibus posthac obsequantur, et libenti animo quamcumque societatem humanam, colloquia, et exercitia tam sancto eius consortio postponant, et denique quam frequenter sanctissima communionem ad eius mensam sint accessuri.

128 Iisdem sacris diebus, si unquam magis, fideles singuli tempus suum utiliter eurent impendere in orationum solito ferventiori exercitio, spiritualium librorum assidua lectione, audiendisque concionibus, lectioibus sacris, divinis Officiis quibus intererunt, et doctrinae Christianae operi vacantes; Patres vero, aut Matres familias in institutis tam exemplo quam verbis ad morum rectitudinem, et virtutem filius versabuntur.

FERIA SEXTA

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

COMMENT. IN EVANG. MATTHAEI CAP. II.

129 **T**u es qui venturus es, an alium expectamus? Non ait, tu es qui venisti, sed, tu es qui venturus es. Et est sensus: Manda mihi, quia ad inferna descendurus sum, utrum te et inferis debeam nuntiare, qui nuntiavi superis? An non conveniat Filio Dei, ut gustet mortem, et alium ad haec sacramenta missurus es?

130 *Et respondens Iesus, ait illis: Euntes renuntiate Ioanni quae audistis et vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt. Ioannes interrogaverat per discipulos: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Christus signa demonstrat, non ad ea respondens quae interrogatus fuerat, sed ad scandalum nuntiorum: *Ite, inquit, et dicite Ioanni signa quae certis caecos videntes, et claudos ambulantes, et reliqua. Et quod his non minus est: Pauperes evangelizantur. Vel pauperes spiritu, vel certe opibus pauperes, ut nulla inter nobiles et ignobiles, inter divites et egenos, in praedicatione distantia sit. Haec magistri rigorem, haec praeceptoris comprobant veritatem, quando omnis apud eum qui salvari potest, aequalis est. Quod autem ait:**

131 *Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Internuntius percipit, sicut in consequentibus demonstrabitur.*

132 *Illis autem abeuntibus, coepit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitantem? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestitur, in domibus regum sunt. Si superior sententia contra Ioannem prolata*

fuerat, ut plerique arbitrantur, in eo quod ait: *Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me*, quomodo nunc Ioannes tantis laudibus praedicatur? Sed quia turba circumstans interrogationis mysterium nesciebat, et putabat Ioannem dubitare de Christo, quem ipse monstraverat digito, ut intelligerent Ioannem non sibi interrogasse, sed discipulis suis: Quid, inquit, existis in desertum? Numquid ob hoc, ut hominem videretis calamo similem, qui omni vento circumfertur, et levitate mentis de eo ambigeret quem antea predicarat? An forsitan stimulis contra me invidiae cogitur, et praedicationis eius vanam sectatur gloriam, ut ex ea quaerat lucra? Cur divitias cupiat, ut affluat dapibus? Locustis vescitur, et melle silvestri. An ut mollibus vestiatur? Pili camelorum tegmen eius sunt. Istius modi cibus et vestis carceris hospitio recipiuntur, et praedicationis veritatis tale habet habitaculum. Qui autem adulatores sunt, et sectantur lucra, et quaerunt divitias, et deliciis affluunt, et mollibus vestiuntur, isti in domibus regum sunt. Ex quo ostenditur rigidam vitam et austeram praedicationem, vitare debere aulas regum, et mollium hominum palatia declinare.

133 *Sed quid existis videre? prophetam? Etiam dico vobis, et plusquam prophetam. In eo Ioannes prophetis caeteris maior est, quod quem illi praedicaverant esse venturum, hic venisse digito demonstravit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (IOANN. I, 29). Et quia ad privilegium prophetale etiam Baptistae accessit praemium, ut Dominum suum baptizaret, inde inferi meritorum *agrorum*, faciens de Malachia testimonium, in quo etiam angelus praedicatur (MALACH. III, 1). Angelum autem hic dici Ioannem non putemus naturae societate, sed officii dignitate, id est nun-*

tium, quod venturum Dominum nuntiavit.

134 *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. Inter natos, inquit, mulierum. His ergo praefertur hominibus, qui de mulieribus nati sunt, et de concubitu viri, et non ei qui est natus ex Virgine, et Spiritu sancto: quamquam in eo quod dixit: *Non surrexit maior inter natos mulierum Ioanne Baptista*, non ceteris prophetis et patriarchis, cunctisque hominibus Ioannem praetulit, sed Ioanni ceteros exaequavit. Non enim statim sequitur, ut si alii maiores eo non sunt, ille maior aliorum sit: verum ut aequalitatem cum ceteris sanctis habeat. *Qui autem minor est in regno caelorum, maior est illo.* Multi de Salvatore hoc intelligi volunt quod qui minor est tempore, maior sit dignitate. Nos autem simpliciter intelligamus: quod omnis sanctus, qui iam cum Deo est, maior sit illo qui adhuc consistit in praedio. Aliud est enim coronam victoriae possidere, aliud adhuc in acie dimicare. Quidam novissimum angelum in caelis Domino ministrantem meliorem volunt accipere quolibet primo homine, qui versetur in terris.*

Varia de Adventu, ex S. Carolo Borromaeo.

(ACTA ECCL. MEDIOBAN. II, 919).

135 **U**NUM est de quo maximo quidem animi nostri dolore opus fuerit adhuc monuisse, nomini scilicet, et professioni quam geritis, tantorumque mysteriorum, quae vobis ob oculos sancta Ecclesia his Natalitiorum imprimis diebus proponit, commemorationi minime convenire alearum usum, crapulas, dissolutiones, prophana spectacula aliaque peccata quae horum sunt appendices, quibus tamen hodie carnales homines solito magis Deum non verentur offendere; quodque magis nos cruciat, sanctae Fidei hostes hinc ansam sumunt impis suis blasphemis Ecclesiae Catholicae instituta irridendi et aspernandi, suisque mortiferis haeresibus simpliciter in animis speciem inde ostendendi.

136 *Unde nil mirum, si Deus tot modis minas nobis intendant, et saevit in dies, cum nunc sancta eius Festa, aut qua ratione pie et cum fructu celebranda sint, nequaquam nos curare videantur.*

137 *Hi equidem tantorum mysteriorum excellentiam aut ignorare, aut de ea minime sollicitos se significent, quo fine ea instituta sint, nimirum propriam ob eorum salutem; nec ad Salvatoris Maiestatem sub paupertatis velo et praesepti humilitate latentem, nec ad amoris vehementiam; ex quo tot labores, vituperia, imo crucem et mortem eorum causa sustinuit; nec quantum eius Adventu, et Nativitate indigerent; quodnam etiam Ecclesiae sanctae in hoc instituto consilium et finis; quae nam denique opes, quae gratiarum abundantia, quas hoc Christi Domini Adventu nobis conferri voluit, eos usquam attendere.*

138 *Unde si ex illarum considerationem, et cogitationum aliqua non moveantur, saltem ex magni illius supplicii horrore concutiantur, quod tanta irreverentia, imo et contumelia Filium eius habentibus, propriumque Maiestatis eius honorem iniuria afficientibus, dum ausu sacrilego his Festis diebus tantis mysteriis, ut sicut Adventus, et Christi Nativitate, consecratis, ita se gerunt, praeparatur.*

139 *Ad subsequentis Adventus expectationem iidem contremiscent. In eo enim idem Dominus in Maiestatis throno sedebit, iudicaturus vivos et mortuos, et unicuique secundum eius opera redditurus; quo tempore miseri illi peccatores, si poenitentiam non egerint, angustis undequaque circumdati, sursum caelos sentiant sibi in aeternum oculos, iratque iudicis tremendam praesentiam; deorsum inferni horrendas flammis terramque diductam, et ut ab ea deglutiantur undequaque desinentem: circum ipsos adstantum daemones, suppliciorum futurorum ministri; intus propriae conscientiae vexanti perpetuo stimulo cruciantur, tumque his aliud nil supererit, quam terribilis illius sententiae imminens executio. *Ite maledicti in ignem aeternum.* Ultimam hunc Christi Adventum suis officis, ritibus, et cereemoniis memoriae nostrae his temporibus Ecclesia saepius praesentat, ut quocumque modo tandem ad agendos dignos poenitentiae fructus compellamur, et sic iram Dei declinantes Christum Dominum, his festis excipiamus, et cum ipso gratiam, qua aeterna demum gloria donemur.*

SABBATO

Homilia S. Augustini Episcopi.

SERMO 292.

140 **V**ox Ioannes, Dominus autem in principio erat Verbum, (IOANN. I. 1). Ioannes vox ad tempus, Christus Verbum in principio aeternum. Tolle verbum, quid est vox? Ubi nullus est intellectus, inanis est strepitus. Vox sine verbo aurem pulsat, cor non aedificat. Verumtamen in ipso corde nostro aedificando advertamus ordinem rerum. Si cogito quid dicam, iam verbum est in corde meo: sed loqui ad te volens, quaero quemadmodum sit etiam in corde tuo, quod iam est in meo. Hoc quaerens quomodo ad te perveniat, et in corde tuo insideat verbum quod iam est in corde meo, assumo vocem, et assumpta voce loquor tibi: sonus vocis ducit ad te intellectum verbi: et cum ad te duxit sonus vocis intellectum verbi, sonus quidem ipse pertransit; verbum autem quod ad te sonus perduxit, iam est in corde tuo, nec recessit a meo. Sonus ergo, transacto verbo ad te, nonne tibi videtur dicere sonus ipse: *Illum oportet crescere, me autem minui?* Sonus vocis strepuit in ministerium, et abiit, quasi dicens: *Hoc gaudium meum completum est* (IOANN. III, 39, 29). Verbum teneamus, verbum medullitus conceptum non amittamus. Vis videre vocem transuentem, et Verbi divinitatem manentem? Baptismus Ioannis modo ubi est? Ministravit, et abiit. Christi nunc Baptismus frequentatur. Omnes in Christum credimus, salutem in Christo speramus: hoc sonuit vox. Nam quia discernere difficile est a voce verbum, et ipse Ioannes putatus est Christus. Vox verbum putata est: sed agnovit se vox, ne of-

fenderet verbum. *Non sum*, inquit, *Christus, nec Elias, nec propheta*. Responsum est: *Tu ergo quis es? Ego sum*, inquit, *vos clamantis in eremo: Parate viam Domino* (Ibid. I, 20-23). *Vox clamantis in eremo*, vox rumpentis silentium. *Parate viam Domino*, tamquam diceret: Ego i-
deo sono, ut illum in cor introduceam: sed quo introduceam non dignatur venire, nisi viam praeparatis. Quid est, *Viam parate*; nisi, congrue supplicate? Quid est, *Viam parate*; nisi, humiliter cogitate? Ab ipso accipite humilitatis exemplum. Putatur Christus, dicit se non esse quod putatur, nec ad suum fastum errorem assumit alienum. Si diceret, *Ego sum Christus*; quam facillime crederetur, qui antequam diceret crederetur? Non dixit: agnovit se, distinxit se, humiliavit se. Vidit ubi haberet salutem: lucernam se intellexit, et ne exstingueretur vento superbiae timuit.

141 Haec enim dispositio placuit Deo, ut tantae gratiae homo testimonium perhiberet Christo, qui posset putari Christus. Denique *in natis mulierum*, sicut dixit ipse Christus, *nemo exsurrexit maior Ioanne Baptista* (MATTH. XI, 11). Si hoc homine nullus erat maior homo, qui maior est illo, plus est quam homo. Magnum testimonium Christi de se ipso, sed lippientibus et infirmis oculis parum de se testificatur dies. Infirmi oculi diem expavescent, lucernam ferunt. Ideo praemisit lucernam dies venturus. Sed in corda fidelium lucernam praemisit, ad confundenda corda infidelium. *Paravi*, inquit, *lucernam Christo meo*: Deus Pater in prophetia loquens: *Paravi lucernam Christo meo*; Ioannem Salvatori praeconem, iudici praecursorem venturo, futuro amicum sponso. *Paravi*, inquit, *lucernam Christo meo*. Quare parasti? *Inimicos eius induam confusione*: *super ipsum autem florebit sanctificatio*

mea (PSAL. CXXXI, 17, 18). Quomodo per hanc lucernam inimici eius induti sunt confusione? Evangelium perscrutemur. Calumniantes Iudaei Domino dixerunt: *In qua potestate ista facis? Si tu es Christus, dic nobis palam*. Causam quaerebant, non fidem; unde insidiarentur, non unde liberarentur. Denique qui corda eorum vidit, attendite quid respondit confusus eos de lucerna. *Interrogo*, inquit, *etiam vos unum sermonem: Dicite mihi, Baptisma Ioannis unde est? de coelo, an ex hominibus?* Illi continuo repercusit, et quamvis tenuiter radiante die, ad palpandum compulsi, quoniam claritatem illam speculari non poterant, ad sui cordis tenebras confugerunt, et ibi secum turbari coeperunt, offendentes et ruentes. *Si dixerimus*, inquit: hoc apud se ipsos, ubi cogitabant, sed quo ille crebatur: *Si dixerimus*, inquit: *De coelo est; dicit nobis, Quare ergo non credidistis ei?* Ipse enim testimonium perhibuerat Christo Domino. *Si autem dixerimus: Ab hominibus; lapidant nos populi*: quia propheta magnus Ioannes habebatur. Et dixerunt: *Nescimus*. Nesciis: in tenebris estis, lumen amittitis. Quanto enim melius, si forte tenebrae in corde humano versantur, lumen admittere, non amittere. Ubi dixerunt: *Nescimus*, ait Dominus: *Nec ego dico vobis in qua potestate ista facio* (MATTH. XXI, 23-27). Scio enim quo corde dixeritis, *Nescimus*, non volentes doceri, sed timentes confiteri.

Varia de Adventu, ex S. Carolo Borromeo, (ACTA ECCL. MEDIOLAN. II, 920).

142 **N**unc ergo, dilectissimi, magnum illud mysterium quod sacro Adventus tempore nobis exhibetur, saltem ex parte comprehendatis: item quid a nobis indeo pro gratiarum actione, dispositione, quantumque pro illa misericordia, quam equidem

hoc tempore nobis olim significavit, et nobis communicare praesto est, apparatus Ecclesiae sedulo adeo a nobis expositi, considerate.

143 **M**onita habetis, quibus ex pastoralis nostro officio nostra haec littera munitur.

144 **S**uperest ergo ut vos omni cura et sollicitudine, quae vere Christianos decet, in his quae ex parte vestra requiruntur, ut par est, nil quiddam omis-
sisse nitamini.

145 **Q**uibus observatis ex infinita Dei clementia hunc vobis sua gratia ita speretis affuturum, ut plura adhuc quam expectimus, agatis.

145 **H**oc veli pro sua misericordia praestitisse, quod ab eo continuo exposcentes, in eius nomine benedictionem vobis impertimur.

Mediolani, 21 Novembris 1573.

DOMINICA III. ADVENTUS

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.

Ioann. I, 19-28.

In illo tempore: Miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es?

20. Et confessus est, et non negavit: et confessus est: Quia non sum ego Christus.

21. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non.

22. Dixerunt ergo ei: Qui es, ut responsum demus his, qui miserant nos? quid dicis de teipso?

23. Ait: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta.

24. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisaeis.

25. Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?

26. Respondit eis Ioannes dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.

27. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est: cuius ego non sum dignus ut solvam eius corrigiam calcemanti.

28. Haec in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans.

Homilia S. Gregorii Papae.

HOMILIA VII. IN EVANGELIA. *Habita ad populum in basilica sancti Petri Apostoli, Dominica quarta in Adventu Domini.*

147 **R**ex huius nobis lectionis verbis, fratres charissimi, Ioannis humilitas commendatur, qui cum tantae virtutis esset ut Christus credi potuisset, elegit solide subsistere in se, ne humana opinione raperetur inaniter